HYMNODION SEU HYMNORUM QUORUNDAM COLLECTIO. AUTHORE PATRE...

Fedele : da Zara

HYMNODION

SEU

HYMNORUM QUORUNDAM COLLECTIO.

AUTHORE

PATRE FIDELE DALMATA JADERENSI
ORDINIS CAPUCCINORUM
SACERDOTE CONCIONATORE,

Nec non Spalatensis Archiepiscopi ac Primatis Theologo.

Hymnum cantemus Domino; hymnum novum cantemus Deo nostro. *Judith* 16. 15.



VENETIIS MDCCXCVII.



TYPIS ANTONII ZATTA Q.m JACOBI
SUPERIORUM PERMISSU.

REVERENDISSIMO DOMINO

JOANNI JOSEPHO

De Comitibus PAULOVICH LUCICH *J. U. Doctori; Canonico, & Provicario Generali Macarensi, Academico Etrusco Cortonensi, Spalatensi, & Jaderensi Dalmatarum, Veliterno Volscorum, Regiæ Sebethidos Societatis Neapolitanæ Socio, Unanimium Taurinensium, atque Constantium Censori &c. &c. &c.*

F. FIDELIS DALMATA JADERENSIS

Ex Capuccinorum Ordine Sacerdos Concionator, nec non Archiepiscopi Spalatensis ac Rimatis Theologus observantiam & obsequium.

Monumentum aliquod, Reverendissime Domine Joannes-Joseph, longævæ necessitudini nostræ sacrandum peroptabam; & cujusmodi illud foret haudquaquam diu-

A 2 tius

tius in optione immoratus sum. Factum est enim, quod quum ex pluribus editis opusculis tuis (de quibus perhonorabilis extat testificatio in Diario Ecclesiastico, quod Romæ cuditur, sub numero XLIX. anno superiore 1791.) *obversatum esset mihi opusculum proditum nuperrime, inscriptum*. Protrepticon ad Ecclesiasticos Viros, qui ad quotidianam Psalmodiam Theodiamque divinam persolvendam tenentur - *animadverti non inepte me tibi oblaturum Hymnodion istud meum, sive Collectionem hymnorum quorumdam, quos partim ex suapte spiritus mei proclivitate (præter tot alia id generis carmina) cecineram identidem, juxta illud*: (a) Canta-

(a) Pfalm. 118. 54.

tabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ; *partim vero ex nonnullorum postulatione, instar illorum qui Israelitis in itinere dies transigentibus ajebant*: (a) Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Hymnodion hocce duos etiam exhibet hymnos, quos, te pariter postulante, in honorem pepigi Sanctorum Vincentii & Pii Martyrum, quorum Corpora Macarschæ existunt, a sedente Summo Hierarcha Pio VI. tibi cum Pontificiis diplomatibus elargita honorificentissime. Ac demum in calce operis oden habes de inclyto Dei Servo Nicolao Bianccovich, primo a deditione Veneta Episcopo Maca-

(a) Pſalm. 136. 3.

carensi, quem etsi per apotheosin super aras populi non venerentur, indigent tamen ob inolitam ejus sanctitatis famam super tumulum ipsius strati (prout egomet intuitus sum) pie deprecantur.

Te penes itaque maneat opella hæc mea tamquam dilectionis & observantiæ meæ fidele pignus. Me penes autem manes ipsemet, vel potius mihi fixus animo inhæres; quippe qui ingenii dotibus, queis polles plurimum, optime coaptare addidicisti excellentioris probitatis ornamenta. Probitas ceteroquin (perhibere decet) est Macarensis Capituli, & Cleri vestri veluti quædam hæreditaria acquisitio. Singuli vestrum, quos ego attente inspexi, & quasi dicerem introspexi, visi estis mihi totidem ecclesiasticæ disciplinæ fide-

jussores: adeo namque (a) *vitam moresque vestros omnes componitis, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferetis.* Cui tam egregio & laudabili Corpori vestro consentaneum Caput est Illustrissimus ac Reverendissimus Episcopus vester, quem honoris causa nomino, *Fabianus Blascovich*, merito æque ac dignitate præcellens alios, alii, vero ei pulcre adhærentes virtutum compage: (b) *Ille quasi oliva pullulans & cypressus in altitudinem se extollens; ceteri autem sic circa illum stantes quasi ra-*

(a) Conc. Trident. sess. 22. de reformat. cap. 1.
(b) Eccli. 50. vv. 11. & 14.

rami palmæ. Ast hæc pertenso, non præterfluente calamo scribenda forent. Ave, Reverendissime Domine, atque vale.

Spalati ex Capuccinorum Hospitiolo. die 18. Septembris 1792.



HI-

HYMNODION.

HYMNUS I.

Ad Sacratissimum Cor Jesu Christi.

Abeste abeste, longius
  A corde nostro dissita,
  Vos virulenta subdoli
  Hujusce mundi gaudia.
Abeste abeste protinus
  Opes, honores, commoda:
  Quæcumque carni & sanguini
  Amica, prorsus cedite.
Tædet pudetque inanibus
  Hæsisse rebus antea,
  Bonoque summo pænitet
  Nos prætulisse vilia.
O illa nobis refluo
  Cursu recurrant tempora,
  Quæ lapsa jam miserrimos
  Nos reddidere funditus!
Ne damna damnis congerat
  Suffusa mens caligine,
  Dum lux ab alto promicat,
  Te, Sancte Jesu, quærimus.

Tu

Tu fac benignus dexteram
Nobis reversis porrigas:
Cor nostrum amore perpete
Cordi tuo conglutina.
Cor dulce, Cor suavissimum,
Accensa fornax Numinis,
Queis tota flagras ignibus
Cunctorum adure pectora.
Galore divo concito,
Languor facessat torpidus:
Nil pigritantis spiritus
Christi supersit servulis.
Mens, lingua, sensus, viscera
Jesum canendo personent:
Sit una Jesus omnium
Spes, vita, meta, gloria. Amen.



HYMNUS II.

Ad dulcissimum Cor Mariæ Virginis Deiparæ.

COr Matris almæ Virginis,
Imago pulcra, splendida,
Illius & simillima,
Quod Filius Christus gerit.
Ignis superni clibane
Flammas amoris evomens
Fac corda nostra, quæsumus,
Gelu coacta ferveant,
Fervere discant, sedibus
Qui prodit ex altissimis,
Et prava quæque corrigit,
Dilectionis spiritu.
Materno amore torridum
In nos misellos, impotes
Tuum, o Parens piissima,
Cor se potenter exerat.
Quo nos favore protegas
Causæ patentes edocent;
Nam vita nostra incommodis,
Ut æquor undis, volvitur.
Tui tu adinstar Filii
Miserationis præstitos
Actus vehementer diligens,
Succurre nobis protinus.

Se-

Sedens Olympi vertice
 Regina dives Cælitum,
 Nos inde caris prosequi
 Ne desinas affectibus.
Immo tuum perefflua
 Cor charitate præditum
 Sit lingua nobis impetrans
 Beatitatis munera.
O detur illic visere
 Te, Mater alma Numinis;
 Ipsoque tecum Numine
 Seclum per omne perfrui! Amen.



HY-

HYMNUS III.

Ad Mariam Virginem Deiparam.

Salve supremi Numinis
Maria Mater inclyta,
Matris simulque Virginis
Miro decora munere.
Salve Deique Flaminis
Maria Sponsa amabilis,
Omnes super puellulas
Puella formosissima;
Salve potens & fulgida
Maria Princeps Cælitum,
Ingens pavorque Dæmonum,
Et firma spes mortalium.
Salve Maria centies,
Et millies atque amplius:
Tuum suave jugibus
Nomen canatur laudibus.
Te quisque semper invocet,
Te semper atque diligat:
A corde, ab ore neutiquam
Ullo recedas tempore.
O dulcis, o piissima
Magnæ Parens clementiæ,
Mæstis Adami posteris
Faveto postulantibus!

Fer-

Ferto medelam languidis;
  Lumenque cæcis reddito;
  Et devios quos conspicis
  Redire fac in femitam.
Tot hostium ingruentium
  Compesce diros impetus;
  Tuoque sub tutamine
  Da nos quietos degere.
Læti superna denique
  Per te potiti Patria,
  Tecum bonorum interminò
  Summo fruamur Numine. Amen.

HYMNUS IV.

In Solemnitate Nativitatis B. V. Mariæ; quæ dies est dies natalis Authoris.

Dies mihi præ ceteris
Hæc est agenda jubilo,
Quam Virginis Sanctissimæ
Regalis ortus consecrat.
Dies mihi lætissima
Super dierum circulo
Hæc est, quæ ab alvo proditum
Me pulcro honore nunciat.
Pulcra est profectò gloria,
Reginæ ut almam prosequens
Suam simulque concinat
Nativitatem servulus.
Nemo sua incunabula
Præferre nostris audeat;
Quum nostra sacrarit suis
Cælestis orta Infantula.
Quamvis Adami ex semine
Homo misellus censear;
Vitali ab ipso limine
Divo favore fulcior.

Na-

Natus tuo sub sidere,
Maria nutrix optima,
Subire nil discriminis
In tot pavesco fluctibus.
Sursum, deorsum, ac undique
Etsi procellæ sæviant;
Tu stella præfulgens maris
Navem potenter diriges.
Tu cui benignus Lucifer
Nascenti adesse nosceris;
Adesto, quæso, lucidus,
Quum advesperarit, Hesperus.
Si namque tecum prospere
Venire in orbem contigit;
Ipsa detur, deprecor,
Ductrice, felix exitus.
Fac me, solutum corpore,
Renasci in æde olympica;
Tuoque vultu perfrui
Per cuncta vitæ secula. Amen.



HYMNUS. V.

Pro celebritate cujusdam Templi in honorem Deiparæ Virginis recens extructi.

AD sacra Templi limina
Labore structa nupero,
Viri, puellæ, puberes,
Senes & ipsi convolent,
Ædis sacratæ encænia
Lætis piisque mentibus
A quoque prorsus agmine
Decent agenda civium.
Almæ Sionis æmuli,
Omnes, in unum cordibus
Junctis, magis quam vocibus,
Melos suave concrepent.
Te, Virgo Mater Numinis,
Dicata cujus Nomini
Structura surxit, invocat
Plebs omnis ore supplici.
Auspex benigna protinus
Tuis adesse servulis
Dignare, & iris splendida
His semper esto finibus.

Dissolve litis vincula,
Adstringe pacis federa,
Quodcunque noxium amove,
Bonumque nobis eroga. Amen.



HYMNUS VI.

Archangelo Gabrieli.

LAudibus sacris, modulisque lætis
Te chorus noster celebrare gestit,
Angelos inter Gabriel priores
Rite colende.
Te Dei præstans validumque robur
Inditum pulcre monet esse nomen;
Idque demonstrat pariter, quod imples,
Nobile munus.
Nam Dei Verbum, genitum Puellæ
Alvo ab intacta, fore nunciaras
Plasmate ut nostro veteres superbos
Conterat hostes.
Ergo qui nostræ fueras salutis
Nuncius, pacis simul & sequester,
Cuncta tu fortis Gabriel in orcum
Tela retorque.
Sit Deo Patri, unigenæque Proli
Laus, honor, virtus, decus omne semper;
Pneumati & Sancto pariis resultet
Gloria in ævum. Amen.

HYMNUS VII.

Eidem Archangelo Gabrieli.

DE primis Gabriel cætibus Angelus
Supremo a Domino missus ad inclytam
Ortam Davidico stipite Virginem
Verba edisserit abdita.
Illam mirifico munere gratiæ,
Repletam penitus Nuncius asserit;
Illam feminei conspicuum ordinis
Miraclum canit unicum.
De Sancto siquidem Pneumate fertile
Affirmat gremium Virginis effici,
Ut Christum pariat Virgo puerpera,
Qui humanum reparet genus.
O ter lætifici Nuncius ominis!
Ter nobis Gabriel Angele amabilis!
Fac nos in supero vertice perfrui
Christo, Virgine, & Angelis.
Votis terrigenum, quæsumus, annuat
Divinæ Triadis summa benignitas,
Cui laudes resonent, & nova cantica
Tellus, astraque perpetim. Amen.

HYMNUS VIII.

Divo Felici a Cantalicio Ordinis Min. Capuccinorum Laico.

Ductus superno spiritu
Vix ad Minores transvolat,
Jam celsa Felix arripit
Perfectionis culmina.
Ad jussa currit Præsulum,
Fratrumque paret nutibus;
Et mentis expers turgidæ
Subesse gaudet omnibus.
Quem summa vult necessitas
De rebus usum percipit;
Satis nec unquam pauperem
Vitam putat se degere.
Panem per urbem quæritans,
Nummum latentem manticis,
Ceu grandi onustus sarcina,
A se repellit anxius.
Hic castitatis lilium
Pulcre tuetur integrum,
Urens modis asperrimis,
Spinis velut vallantibus.
Jejuniis sese atterit;
Flagris cruentat ferreis;
Superque duras asseres
Brevem soporem surripit.

Nobis, voluptas improba
Quos blandiendo decipit,
Christi palæstram fortiter
Detur subire, ac perpeti. Amen.



HY-

HYMNUS IX.

Eidem Divo Felici a Cantalicio &c.

SPretor sui quam maximus
Abjecta quæque seligit;
Convicia ac ludibria
Nimis libenter sustinet.
Multo seipsum prosequi
Rigore quamvis assolet;
Dulci revincit cæteros
Dilectionis vinculo.
Orantem eum sol deserit;
Eumque rursus prodiens
Raptum revisit sæpius
In divi amoris extases.
Fruens Dei consortio
Futura longe prospicit;
Occulta sive cordium
Miro penetrat lumine.
Jesum sibi puellulum
A Matre amica traditum
Ulnis suis amplectitur,
Et osculatur jubilans.
Se transeunti a seculo
Maria clemens exhibet;
Nec non solutum corpore
Ejus recepit spiritum.

Is ergo, tu qui diceris
Felix, reapse proderis.
Summo apprehenso mysticæ
Felicitatis vertice.
E sede adeptæ gloriæ
Nos exulantes respice;
Tecumque in astris impetra
Ut perfruamur gaudiis. Amen.



HYMNUS X.

Divo Fideli a Sigmaringa ex Ordine Capuccinorum, Congregationis de Propaganda Fide Protomartyri.

Quem colit civem sibi Sigmaringa;
Ordo quem noster peperitque gnatum;
Quemque dant nobis celebremus almum
Asha Patronum.
Cælites inter meritis onustus
Assidet; messis fruiturque palmis,
Protulit quas illi inimica veræ
Rhætia lucis.
Rhætiæ terris stygio illinitis
Hæresum tabo, simul ac medendis
Se dari sensit, face charitatis
Currit adustus.
Currit, hue illuc, hominum impiorum
Voce deceptos animos benignis
Retrahit verbis, oleique adinstar
Leniter ungit.
At Dei cultor, Fideique vindex
Lucis osores gladio disertæ
Impetit linguæ, insequitur, feritque
Heterodoxos.

Ri-

Rite jam parto subigi triumpho
Hi nimis contra renuunt; loquentem
Asseclam Christi minitant cruenta
Sternere cæde.
Dum tamen constans magis inde cæptis
Instat Athletes, furibundo adacti
Impete accurrunt, necis atque plura
Arma capessunt.
Quid juvat tantus feritatis horror?
Spernit horrorem generosus Heros
Nescius vinci, melioris ævi
Captus amore.
Sanguinis tandem sitibunda justi
Sæva, sævi-j merito vocata,
Plebs Virum fœdo laniat Fidelem
Vulnere multo.
Ejus hoc votis fuerat petitum;
Ejus hoc virtus fore præcinebat;
Hocce perbelle monuit vel ipsum
Nominis omen.
Hinc ubi primum cecidit peremptus,
Claruit miris nituitque signis:
Signa portendunt. itidemque plaudunt
Martyris acta.
O decus nostrum, rutilansque sidus,
Digna Francisci soboles, tuorum
Cætui fratrum faveas ab alto,
Sancte Fidelis! Amen.

HYMNUS XL.

Divo Joseph a Leonissa Ordinis Capuccinorum Confessori.

CÆlitus Joseph teneris ab annis
Gratiæ donis decoratus almis
Inde jam cæpit nitido micare
Lumine morum.
Nuptiis spretis, sibi quas pararant
Sanguinis capti studio parentes,
(a) Sanguinum Sponso cæpit ille soli
Nubere Christo.
Se gregi Fratrum socians Minorum
Jam lubens hæret Crucis instituto;
Præter ut morem asperiora quæque
Perferat ultro.
Mucidi panis cibus, & lutosæ
Potio lymphæ sibi consuetæ
Dant modum vitæ, faba vel putrescen-
Fercula præbet.
Membra ferratis premit ille nodis,
Ac salutaris juga servitutis
Ferre detrectans domuit cruento
Verbere corpus.

Per-

(a) Exod. 4. vv. 25. & 26.

Percitus zelo volitat per urbes,
Oppida, & vicos, populos ad astra
Excitans verbis; adit atque Thraces
Præco salutis

Multa ibi gaudet patiens subire
Dura pro Christo: pretium laboris
Carcer est illi; probra, flagra, pœnæ
Messis opima.

Jussus est, dextra ac pede perforatis,
Uncino pendere trabe e præalta;
Subtus & fumo posito, tremendum
Passus agonem.

Miles at fortis, triduo peracto
Efferæ hujusce horribilisque luctæ,
Angeli miranda ope sublevatus
Sospes abivit.

Pallio extento Latium relegit
Per maris fluctus; fluviosque siccis
Transiit plantis; alia atque plura
Mira patravit.

Inclytus signis, meritisque dives
Migrat ad cælum placido sopore,
Candidis cinctus simul atque rubris
Tempora sertis.

Te piis, Joseph, precibus rogamus,
Sortis ut nostræ miserans iniquæ
Impetres nobis bona sempiternæ
Munera pacis. Amen.

HY-

HYMNUS XII.

Divo Seraphino ab Asculo sive a Montegranario Ordinis Capuccinorum Laico.

HUmano amictum plasmate
Splendere censet Angelum
Choro ex superno Seraphim
Qui Seraphinum perspicit.
Candore fulgens cælico
Polluta terræ despicit;
Desiderare nescius
Nisi Deum quem diligit.
Ardentis instar clibani
Arsit medullis intimis;
Aquæ nec ullæ extinguere
Flammas amoris quiverant.
Ad Filium almæ Virginis
Diro immolatum stipite,
Ac pane tectum mystico
Summis anhelat viribus.
Deo Parenti gloria,
Nato sit, atque Flamini;
Sit laus, honorque jugiter,
Nullo obvoluto termino. Amen.

HYMNUS XIII.

Eidem Divo Seraphino &c.

ORationis pabulo
Mentem fovere fedulus
Perfæpe raptus cernitur
In altiores extafes.
Hinc fpiritus pinguedinem
Percepit & dulcedinem;
Fluenta Gratiæ ebibit
Non ufitatis hauftibus.
Divi Magiftri lumine
Perfufus, abfque litteris,
Super docentes plurimos
Arcana fenfa intelligit.
Sanctoque plenus Numine
Paffim revelat abdita;
Futura vel prænunciat
Vatis decorus munere.
Laus, gratiarumque actio
Sit ufquequaque Altiffimo,
Qui trinus unus omnia,
Regnat Deus per fæcula. Amen.

HYMNUS XIV.

Eidem Divo Seraphino &c.

Miro nitens charismatum
Fulgore ad astra spiritus
Rediit, unde venerat,
Carnis solutu vinculis.
Ipso favente concidunt
Morbi, lues, pericula;
Cedit furorque Dæmonum,
Et mortis inclementia.
Testis loquatur Asculum,
Et testis urbs Vicetia;
Loquantur urbes, oppida
Quæ gesta sunt magnalia.
Concivis ergo cælitum
Nos Seraphinus adjuvet
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum Dei.
Rex omnium regum optime
Largitor omnis gratiæ,
Omnis tibi sit gloria
Ævum per omne ab omnibus. Amen.

Superiores tres hymni habentur in Novendio ejusdem S. Seraphini.

HY-

HYMNUS XV.

Beato Bernardo a Corleone Ord. Capucc. Laico nuperrime in Beatorum album relato.

ADeste laudes cantica,
Festiva adeste gaudia;
Grege e pusillo prodiit
Cælestis Heros inclytus.
Dura in palæstra jugiter
Athlera fortis perstitit,
Gigasque tamquam strenuus
Iter cucurrit arduum.
Sat lora, sat jejunia,
Sat arma pœnitentiæ
Carni suæ infensissimus
Bernardus hostis pertulit.
Quondam patrata devii
Florentis Ævi crimina
Virtutis admirabilis
Largo redemit fœnore.
Quid ille quid præter Crucem,
Crucique suffixum Deum;
Quid ille præter cælica
Sibi in medullis fixerat?
Tam grandi ad Eucharisticas
Dapes se agebat impetu,
Ut sese ad illas corpore,
Nedum levaret spiritu.

Proh!

Proh! quantum in arce siderum
Nunc Christo inhæret intimus,
Quem panis hic sub tegmine
Tantis amavit viribus!
Quo almo bearis lumine,
Bernarde, fac nos compotes
Nobis favendo perpetim
Precum tuarum munere. Amen.



HYMNUS XVI.

Beato Laurentio a Brundusio, totius Ordinis Min Capuccinorum Moderatori, nuperrime in Beatorum album relato.

FEstivo & celebri concita gaudio
Dulces pange modos, Turba Minorica:
Nam sole eximior lux tibi cælitus
Se Laurentius exerit.
Hic largo ætheræ munere gratiæ
Preventus, teneris fulsit ab ungulis;
Emisit radios mox nitidissimos
Francisci Patris æmulus.
O quam flammigeris ustus amoribus
Præclare officium gessit Apostoli,
In Christi stabulum cogere sedulus
Quos per devia conspicit!
Omnes Iudaico ex semine perfidos,
Omnes vipereos hæresis asseclas
Et linguæ & calami cuspide præpotens
Objurgat, docet, obsecrat.
Ac quamvis rabies perstrepat hostium,
Ausis magnanimis non tamen abstinet,
Pulcram martyrii consequi adoream
Ardenter nimis æstuans.

Præſtet nos Fidei lumine dirigi
Has inter tenebras Rex dator optimus,
Cui laus, obſequium, & gloria jugiter
Perſolvatur ab omnibus. Amen.



HYMNUS XVII.

Eidem Beato Laurentio a Brundusio &c.

ALma Laurentj celebranda gesta
Lucidum vitæ speculum gerendæ
Omnibus prostant; mage at illa nobis
Lampadis instar.
Fervidus Christi Crucis expetitor
Perpetem sanxit sibimet rigorem;
Sumere aut nullum patitur, vel arctum
Membra levamen.
Totius nostri generis Minister,
Dum gregem lustrat varias per oras
Diffitum mundi, pedibus peragrat
Scabra viarum.
Fessus & quamvis foret ille eundo,
Omnium primus vigil ad suetos
Nocte surgebat Domino canendos
Dulciter hymnos.
Est sibi abjectus, cupidus subesse;
Osor Est laudis, meritique sollers
Quidquid & nostræ statuere leges
Servat amussim.

Hoc-

Hocce det nobis Deus æmulari
Protypum cæli altius assequendi,
Ut supernorum cumulemur omni
Sorte bonorum. Amen.



HYMNUS XVIII.

Eidem Beato Laurentio a Brundusio &c.

LAurentii ingens charitas
In corde surgit altior,
Dum Sacrum in ara conficit
Almus Sacerdos Numinis,
Totus madescit lacrymis,
Liquescit & languoribus
In detegendis abditis
Mysteriorum sensibus.
Sic divi amoris impetus
Adegit ejus spiritum,
Ut sæpe in altum tolleret
Pondus vel ipsum corporis.
Quis dona narret singula?
Quis sanctitatis inclytam,
Qua in orbe late splenduit,
Satis recantet gloriam?
Gentes, Dynastæ, ac Principes
Membris adhuc circumdatum
Eum colunt ac consulunt
Cæleste tamquam oraculum.

O una diva Trinitas,
Et trina semper unitas,
Da per preces Laurentii
Æterna nobis præmia. Amen.



HYMNUS XIX.

Eidem Beato Laurentio a Brundusio &c.

Mira qui terris operatus acta
Insides cælo, bone Dive, nostra,
Quæ damus sacro modulata cantu,
Suscipe vota.
Qui crucis signo, velut ense pugnans,
Castra Turcarum fera perdidisti,
Nos ab infensis Satanæ petitos
Protege turmis.
Qui potens verbis validusque scriptis
Hæresum præstans celebraris ultor;
Traditæ nobis Fidei suborta
Tolle pericla.
Qui malis pressos facilis solebas
Fervida cunctos ope sublevare,
Sublevа servos modo te precantes
Rebus in arctis.
Qui penes Reges populis favebas
Dulcis orator, tibi mancipatis
Fac ut excelsa veniant ab aula
Munera pacis.

Fac

Fac per anfractus super astra scansi
Jugiter tecum Domino canamus:
Laus ei jugis decet, ac perennis
Gloria honorque. Amen.

Hic hymnus canitur in Novendio, quod solet fieri in honorem ejusdem Beati Laurentii.

HY-

HYMNUS XX.

In laudem Divæ (*) Sophiæ, ejusque Filiarum (**) Fidei, Spei, & Charitatis.

INsignis inter Cælites
  Adsit canenda laudibus
  Trium Sophia Virginum,
  Triumque mater Martyrum.
Sapientiæ almo Numine
  Pulcro simul cum Nomine
  Ditata, vitrix expulit
  (a) Mundum, timorem, dæmona.

(*) In Martyrologio Romano. Pridie Calendas Octob. Romæ Sanctæ Sophiæ Viduæ, Matris Sanctarum Virginum Fidei, Spei, & Charitatis.

(**) Calendis Augusti. Romæ passio Sanctarum Virginum Fidei, Spei, & Charitatis, quæ sub Hadriano Principe martyrii coronam adeptæ sunt.

Vide Martyrologium Romanum, Gregorii XIII. Pont. Max. jussu editum, cum notationibus Cæsaris Baronii Sorani Congregationis Oratorii Presbyteri, anno M. DC. IX.

(a) Ista sancta firmiter certavit, Diabolum Fide, Spe timorem, mundum charitate vincens.
Divus Augustinus Serm. de S. Vict. Tom. 10.

Fi-

Fideſque, Speſque, & Charitas,
Conjunctæ amico federe,
Fortem virili pectore
Hanc reddidere Feminam.
Fideſque, Speſque, & Charitas
Nexu quoque admirabili
Tantæ fuere pignora
A Matris alvo prodita.
Mater beata candidæ
Confeſſionis munere,
Suoque tinctæ ſanguine
Fulgent in atris Filiæ.
Nos inde Cœtus inclytus
Ab hoſte, trino protegat;
Virtutis ac munimine
Ad aſtra pandat tramitem. Amen.

HYMNUS XXI.

Eidem Divæ Sophiæ &c

SApienter ut se dirigat
Superba mens mortalium,
Doctrice discat inclyta
Christum Sophia noscere.
Hæc corde puro & simplici
Christi sequens vestigia,
Sapientiæ metam arripit,
Culmenque summæ gloriæ.
Lux lucis, & fons luminis,
Tu Christe adesto quæsumus,
Ut sobrie, juste, & pie
Vivamus hoc in seculo.
Quod postulamus, impetret
Sophia in arce siderum,
Ubi refulget munere
Incomprehensi luminis. Amen.

HY-

HYMNUS XXII.

In Festo B. M. V. de Monte Carmelo.
Pro Carmelitis.

Pange Carmeli sacra Turba cantus:
  Hac tibi festa redeunte luce
  Virgini Matri meritos repende
    Laudis honores.
Diva Carmeli pia Virgo montis
  Te sibi dulci religans amore,
  Te suo ipsomet titulo decoram
    Gaudet haberi.
Utque dignosci valeas amantis
  Virginis proles, dedit ipsa signum,
  Cælitus textæ sacra largiendo
    Munera vestis.
Certa sic Matris, simul & Patronæ,
  Quæ peroptares, monumenta cernis:
  Jam tibi felix micat undequaque
    Arrha salutis.
Alvo ab intactæ genitus Puellæ
  Rex Deus regum sine fine regnans
  Servulis donet, rogitante Matre,
    Gaudia cæli. Amen.

HY-

HYMNUS XXIII.

In eodem Festo B. M. V. de Monte Carmelo.

CArmeli amica Virginis
Cohors sacrata militum
Conare divam subsequi
Ardore mentis Auspicem:
Quæ pulcro honore Hominis,
Vestisque fulges munere,
Fervere & intùs perfice
Devotionis spiritu.
Thorace sicut æneo
Instructa, & armis undique,
Adversus hostes fortiter
Perstabis in certamine.
Dignos Mariæ milites
Infernus horret æmulus;
Fugamque tristis arripit,
Opem ferente Virgine.
Hæc ingruentes protinus
Pellit malorum turbines;
Morbosque curat anxios;
Avertit & discrimina.
Rex Christe clementissime
Mariæ ab alvo prodite,
Matris favente gratia,
Largire quod deposcimus. Amen.

HYMNUS XXIV.

In eodem Festo B. M. V. de Monte Carmelo

Pacis sidereæ pignus amabile,
Sanctique eximiam fœderis iridem,
Carmeli columen dicite Virginem,
Lætis psallite canticis.
Præstat suppetias hoc pia seculo,
Servis suppetias præstat & altero:
Tutrix semper amans sollicitam suis
Fidis se exhibet asseclis.
Iis, qui flammivomo carcere perluunt
Noxarum maculas, se ocyus affore
Promittit miserans, ut cito postmodum
Puros ducat ad æthera.
Summus jugis honos, summaque gloria
Sit Christo, genito Virgine ab integra,
Per Matrem voluit qui bona jugiter
Servis maxima profluant. Amen.

HYMNUS XXV.

In Festo B. Franci Carmelitæ.
Prò Carmelitis.

INsigne pœnitentium
Exemplar & dux inclytus
Nobis die lætissima
Francus canendus advenit.
Præceps ruens per omnia
Olim patrata crimina
Se informe monstrum prodidit,
Quod fœta mater viderat.
Factus sed expers lumine,
Deo volente, corporis,
Lucis supernæ munere
Mentis tenebras expulit.
Visu deinde reddito,
Longinqua lustrat litora,
Ut sanctiora limina
Pius viator visitet.
Antri recessum deligit;
Herbis aquisque victitat;
Sese cruentans verbere
Carnis retundit impetus.

HY-

Te Christe clementissime,
Franci rogatu poscimus,
Ut labe tersa criminum
Tua fruamur gratia. Amen.



HYMNUS XXVI.

In eodem Festo B. Franci Carmelitæ.

FRancus monente Virgine,
Carmeli adoptat Ordinem;
Ac vestibus se contegit,
Quas almus offert Angelus.
O quanto amore concitus
Exarsit, & quam plurima
Virtute splenduit novæ
Professionis affecla!
Quem vidit atro sanguine
Madere fixum stipiti
Dei Parentis Filium
Deflere nunquam desinit.
Deportat illum jugiter
In corde, & ore, & dextera:
Ejusque pœnas condolet
Acerbitate corporis.
Custos tenax silentii
Os plumbea claudit pila:
Et charitatis spiritu
Fervens ministrat fratribus.

Uni

Uni Deo fit gloria,
Qui multiformi gratia
Suum replendo servulum,
Spem donat indulgentiæ. Amen.

HYMNUS XXVII.

In eodem Festo B. Franci Carmelitæ.

VExilla pœnitentiæ
Francum sequutum strenue,
Jam desitis laboribus,
Quies perennis excipit.
Hujus migrantis transitum
Plaudunt canentes Angeli:
Lux magna cælo promicat,
Domumque totam circuit.
Quæ mira, donec viveret,
Ubique signa præstitit,
Præstare, postquam decidit,
Potens suevit munifex.
Ipsius ad nutum redit
Lumen, loquela, spiritus;
Et quidquid hic prophetico
Prædixit ore, contigit.
Te summe Christe quæsumus,
Fove, guberna, protege;
Et nos repone Cælitum,
Orante Franco, cœtibus.

Sit

Sit laus Patri cum Filio,
Sancto simulque Flamine,
Qui trinus ac unus Deus
Per cuncta regnat secula. Amen.



Divo Philippo Nerio.

CÆlites inter rutila nitentis
Nerii miræ face sanctitatis
Ferveat sacro resonare quisquis
Carmine laudes.
Nerius cæli peragrare calles
Gratia ductrice puer suevit;
Luce virtutum didicitque primis
Fulgere ab annis.
Ampla adhuc puber, sibi quæ lubenter
Ceteri asciscunt, bona derelinquit;
Rebus & spretis, Deo inesse soli
Totus anhelat.
Abstinens perstat cibo & absque potu
Vel dies plures, vacuasque somno
Transigens noctes precibus Supremum
Numen adorat.
Presbyter jussus fieri, quot inde
Filios Christo pariat, quibusve
Nutriat partos foveatque curis
Roma loquatur.
Quin & extensæ plaga quæque terræ,
Tanti ubi floret Patris institutum,
Narret hinc quantus populis salutis
Profluat usus.

Ne-

Nerium nobis, tibi, qui dedisti
Auspicem metæ, Deus, assequendæ,
Laus sit & virtus, honor & potestas
Semper ubique. Amen.



HYMNUS XXIX.

Eidem Divo Philippo Nerio.

Quo Dei Servus flagret igne amoris,
Utque amando langueat & liquescat,
Eloquens nunquam satis ulla posset
Pangere lingua.
Æstuat sic ille, cor ut quum in arcto
Non coerceri queat, æstuanti,
Costulis fractis, Deus ampliaret
Atria cordis.
Dum pius summo litat incruentam
Victimam Patri, radiis micare
Visus est circum, levis atque in altum
Corpore tolli.
Quot cibo, lana, lare quot refecit
Pauperum turbas! potuit vel ipsi
Angelo munus stipis erogare
Sub rudi amictu.
Nocte dum panem gerit ille egenis,
Lapsus ingentis foveæ in profundum,
Angeli dextra meruit tuente
Surgere sospes.
Ultro delatos toties honores
Qui, sibi constans, humilis refutat,
Ipse pro Christo, loco honoris, ambit
Vilia quæque.

Sit tibi virtus, tibi fortitudo,
Claritas, hymnus, decus & poteſtas,
Quem Deum ſanctum Seraphim perenni
Voce celebrant. Amen.



HYMNUS XXX.

Eidem Divo Philippo Neria.

Nerius Divæ charitos refulget
Inclytus donis: cui quæ futura,
Vel quæ in humanis latitant medullis,
Sensa patescunt.
Lilio florens nivei pudoris
Halitu ex fragrante homines pudicos,
Halitu contra ex maleolente novit
Labe refertos.
Dissitis longe, ac propiore pressis
Alea sortis, subito juvamen
Advolans præbet; resilit deinde
Ocyor aura.
Languidis morbos miseratus aufert;
Proxime letho rapit enecandos;
Atque defunctis referat potenter
Lumina vitæ.
Additus nondum Superis licebit,
Fit tamen consors Superum Philippus;
Hunc enim crebro Superi, Parensque
Virgo revisunt.
Corporis Christi redeunte festo,
Transvolat, Sacris operatus, astra;
Quippe qui in terris veluti lucerna
Luxit & arsit.

Ju-

Jugis æterno actio gratiarum
Sit Deo Patri, parilique Proli,
Et tibi compar, utriusque nexus,
Spiritus alme. Amen.

HY-

HYMNUS XXXI.

In Festo S. Joannis Ursini Episcopi Traguriensis.

Jubilo cordis, modulisque vocis
Quas tibi laudes damus obsequentes
Sume jucundo facilique vultu,
Sancte Joannes.
Tu, piæ vitæ merito favente,
Præsul electus juvenili in ævo,
Splendidum Mitræ, cupidus subesse,
Spernis honorem.
Sed Dei nutum ratus exequendum
Cedis, & mira face qui nitebas,
Sedulus præstas magis inde clara
Luce nitere.
Pacis exarsus studio fovendæ,
Siquid irarum resonat, sequester
Ilicet curris: nihil hocce reris
Dulcius esse.
Tu, velut Christus docuit magister,
Mitis existens humilisque corde,
Vir Deo carus, pariterque Præsul
Sanctus haberis.

Id

Id palam divus probat ille testis,
Qui tibi sacras operanti ad aras
Desuper tensis, specie columbæ,
Astitit alis.
Sint Patri, Nato, simul atque Sancto
Flamini grates: Triadi supremæ
Laus, honor semper, fluit unde nobis
Gratia quævis. Amen.

Hic hymnus & duo subsequentes habentur in Officio, nuper concinnato, Sancti Joannis Ursini Confessoris Episcopi ac Patroni Traguriensis.



HY-

HYMNUS XXXII.

In eodem Festo S. Joannis Ursini &c.

Dies revertens annuus,
Sacer Joanni Præsuli,
Nos jure replet fervido,
Quo detinemur, gaudio.
Hic est vir ille maximus,
Lux alma Traguriensium,
Et Dalmatum per singula
Jubar refulgens litora.
Micavit ipse perpetim
Sidus nitoris duplicis;
In ipso enim scientia,
Virtusque inhæsit cælica.
Præcepta vitæ tradere
Potens fuit sermonibus;
Suis itemque moribus
Signare cæli semitas.
Lenis, benignus omnibus,
In semet asper extitit;
Et suetus esse pacifer
Sibi negabat parcere.
Torquere corpus innocens
Modis solebat pluribus;
Sibique sumptus detrahens
Turbas alebat pauperum.

Æter-

Æterne Rex altiſſime
Da, per Joannem, quæſumus,
Nos ſanctitatis actibus
Vere Fideles effici. Amen.



HYMNUS XXXIII.

In eodem Festo S. Joannis Ursini &c.

ADhuc in orbe transigens
Vitam Joannes Pontifex
Res egit admirabiles,
Grandique fulsit gloria.
Perpauca musti quantitas,
Jussu liquata Præsulis,
Meri suavis copiam
Perassluenter reddidit.
Submersa navis exilit;
Salvi manentque naufragi;
Et ipse Præsul turgidas
Maris per undas ambulat.
Hostilis ingens machina
Ruptura muros rumpitur:
Hoc senserat juvaminis
Agressa Jadra ab Hungaris.
Postquam solutus corpore
Migravit inter sidera,
Novis beatus Pontifex
Resplenduit miraculis.
Res mira perquam maxime
Quod dextra rapta Præsulis
Longe per aerem volans
Suis redivit lipsanis.

Quam

Quam promptus imminentibus
Adjutor in periculis
Sit Divus iste, prædicant
Hinc inde cives, exteri.
Qui tot Joanni splendida,
Deus, dedisti munera,
Concede nobis assequi
Æterna cæli gaudia. Amen.



HYMNUS XXXIV.

In Festo Natalitio Divi Domnii Episcopi & Martyris Civitatis ac Diœcesis Spalatensis Patroni præcipui.

APostolorum Principis
Proles, Alumne, & Affecla
Tu Domni, adesto, quæsumus,
Laudes tuas canentibus.
Natali ab ipso Ecclesiæ
Fulgore fulgens maximo
Primus Salonas mitteris
Lucem daturus Pontifex.
Lumen superni luminis.
Cæcis ministrans gentibus
Tu sol videris lucidus
Noctis fugans caliginem.
Verbis fidem disseminas;
Fidemque factis comprobas;
Præstas ut omnes ardeant
Se veritati subdere.
Inanium aræ Numinum,
Te prædicante, corruunt;
Teque edocente, debitis
Templa extruuntur ritibus.

Hinc

Hinc dona vitæ colligunt
Qui in mortis umbra sederant;
Et qui gravati serpserant
Leves se in astra sublevant.
Sanctum præcare Spiritum,
Domni Patrone præpotens,
Ut ore, corde, moribus
Simus fideles servuli. Amen.

Hymnus iste, & duo qui subsequuntur, habentur in Officio recens extructo ejusdem Sancti Domnii.



HYMNUS XXXV.

In eodem Festo Divi Domnii Episcopi & Martyris &c.

DOmni Beate Pontifex,
Dignis canende laudibus,
Qui traditam divinitus
Fidem tueris strenue.
Quemcumque noris impie
Christi ferire dogmata,
Adversus illum protinus
Insurgis instar vindicis.
Miris loquelæ viribus
Hostem superbum reprimis;
Et cogis obmutescere
Confusionis filium.
Christo latriæ munera
Ut deferantur efficis,
Virtute cujus nominis
Permulta signa perpetras.
Affecta morbis corpora
Reddis saluti pristinæ;
Atroque mersa funere
Extare viva præcipis.

Me-

Meliora nos charismata
Ut æmulemur impetta,
Tecumque in arce siderum
Dei fruamur gaudio. Amen.

HYMNUS XXXVI.

In eodem Festo Divi Domnii Episcopi & Martyris &c.

VErbi minister inclyte,
Christique, Domni, signifer;
Nec non agone in effero
Athleta præstantissime.
Deos honore prosequi
Minis severis cogeris;
Sed firmus ipse jugiter
Deum deorum prædicas.
Ira tyrannus infremit,
Jubetque ferri compedes,
Virgas, bipennes, ungulas;
Nec inde quidquam proficit.
Quinimmo confitentium
Recens caterva proditur,
Quæ te sequuta in prælio
Simul profudit sanguinem.
Hinc martyr & dux martyrum
Pulcro vocaris nomine;
Tibique lætis plausibus
Tellus & astra consonant.

Re-

Regi ſupremo & optimo,
Qui te potenter extulit,
Sit laus & omnis gloria
In ſeculorum ſecula. Amen.



HYMNUS XXXVII.

In Festo Translationis Corporis S. Domnii Episcopi & Martyris Civitatis & Diœcesis Spalatensis Patroni præcipui.

EN illa jucundissima
Nobis dies revertitur,
Quæ nos Beati Domnii
Ditavit almo pignore.
Thesaurus est præ divite
Gaza æstimandus qualibet
Corpus Beati Præsulis
Sacrata in arca conditum.
Tam grande donum cælico
Favore nobis traditum
Tellus tegebat asperis
Herbis operta & vepribus.
Hoc tanto adepto munere,
Nos jubilare condecet,
Si Exuberavit femina
Drachma reperta, gaudio.
Summæ Deus clementiæ
Totius & solaminis,
Fac, supplicem per Domnium,
Lætemur in te perpetim. Amen.

Hic hymnus & duo subsequentes habentur in Officio Translationis nupero.

HYMNUS XXXVIII.

In eodem Festo Translationis Corporis S. Domnii &c.

ARcam ſacrati Corporis
Terræ latebris erutam
Transferre ad urbem protinus
Devota plebs enititur.
Fortes leveſque bajulos
Oneri ferendo deputant;
Onus ſed ipſum fortibus
Obſtat, manetque immobile.
Quid fiet? adſint debiles,
Et vi recedant præditi:
Ut mira Numen perpetret,
Infirmitatis indiget.
Ergo viri quam deſerunt
Arcam reportant parvuli,
Quorum Deus ſuaviter
Reſpexit innocentiam.
Nos, Chriſte clementiſſime,
Vultu benigno reſpice;
Et, protegente Domnio,
Fac nos ad aſtra transferas. Amen.

HYMNUS XXXIX.

In eodem Festo Translationis Corporis S. Domnii &c.

INfirma turba puberum,
Dum fert sacratam sarcinam,
Perculsa solis spiculo
Siti laborat maxime.
Sitim levare perperam
Lymphis cupitis quæritat:
Nullos aquarum rivulos
Siccos per agros invenit
Sed ille promptus adfuit,
Qui præbuit potum Israel;
E caute namque limpidus
Latex repente diffluit.
Adhuc ibidem labitur
Primam sequens originem;
Et fertur ipse a languidis
Quandoque morbos pellere.
O fons salutis Trinitas,
Concede nobis, quæsumus,
Per Domnium almum Præsulem,
Sitire sanctimoniam. Amen.

HY-

HYMNUS XL.

Ad Divum Domnium Episcopum & Martyrem &c. Tempore tribulationis & angustiæ.

Noster, o Domni, Pater ac Patrone,
Tutor ac noster, venerande Domni,
Quæ damus mœsti miseratus audi
Vota precesque.
Præsto sis nobis; validaque dextra
Nos malis tantis releva gravatos;
Quæque circumstant nova nascitura
Tolle pericla.
Tolle, qui vexant animos, pavores;
Tolle, qui cives populumque & urbem
Vincit ac sternit, nimis ingruentem
Undique luctum.
(*) Amove pestem, procul atque mortem
Pelle, quæ sponsos viduat, domosque
Conjugem conjux, puerosque mater
Plorat ademptos.
Hisce nos plecti merito flagellis,
Quippe qui culpis graviter diuque
Numinis justas agitamus iras
Ultro fatemur.

At

(*) Extra tempus pestis omittitur.

At luto extructi, tenuesque mole;
Debiles, Ægri, nimium miselli
Sub Dei magni terimur, perimus
Vindice flagro.
Eja tu, Domni, mediator adsis:
Nuptæ & innuptæ, pueri senesque
Te rogant cuncti: precibus benigne
Annue, adesto,
Nunc in adversis, velut in secundis,
Laus Deo Patri, Genitæque Proli,
Flamini Sancto pariter canatur
Corde lubenti. Amen.



HY-

HYMNUS XLI.

Ad eumdem Divum Dominium Episcopum & Mart. &c. Tempore pestis per urbem Spalati passim grassantis ann. 1784.

ANtistes alme & inclyte,
Domni, Patrone præpotens,
Quas nunc gementes fundimus
Preces benignus excipe.
Te voce, votis, cordibus,
Te deprecamur lacrymis,
Ut nos malorum pondere
Nimis gravatos ſubleves
Hinc inde morbus peſtifer
Furente ſurgit impetu;
Languore diro corpora
Paſſim per urbem dejicit,
Domos viaſque lurido
Mors atra replet funere:
Luctuſque cuncta contigit:
Cunctoſque terror occupat.
En illa nuper civibus
Opplera felix Civitas,
Squalere jam nunc cernitur
Effecta pauper incolis.

Non

Non ſacra adire limina,
Rei nec ullæ myſticæ
Nobis datur ſolemnibus
Obire munus ritibus.
Veniſſe nobis deſuper
Hæc dura damna novimus:
Et iſta juſte perpeti
Nos confitemur cernui
Iram ſupremi Vindicis
Tu flecte, Domni, quæſumus;
Ejuſque nobis impetra
Mediator indulgentiam
Summæ Deo clementiæ
Sit laus honorque jugiter,
Mærore qui nos obrutos
Lætos ad aſtra transferat. Amen.



HY-

HYMNUS XLII.

Ad eumdem Divum Dominum Episcopum & Martyrem &c. Post evasam tribulationem, susceptumque levamen.

Alternis Choris.

Ch. Pr. Abscedat omne nubilum,
Nobisque surgat jubilum:
Est pulsa nam vexatio
Opem ferente Domnio.
Ch. Sec. Abscedat omne nubilum &c.
Ch. Pr. Grates agantur plurimæ,
Laudesque dentur maximæ
Patri Patrono Domnio,
Qui nos benique protegit.
Ch. Sec. Abscedat omne nubilum &c.
Ch. Pr. Ubique Domnii inclyti
Perdulce Nomen canticis
Viri, puellæ, puberes,
Senes & ipsi sublevent.
Ch. Sec. Abscedat omne nubilum &c.
Ch. Pr. Plebs cuncta læta concinat;
Urbs tota cantu personet,
Potente sub tutamine
Semper futuræ Domnii.

Ch. Sec.

Ch. Sec. Abscedat omne nubilum &c.
Ch. Pr. Magis magisque gaudeat
Protecta felix Civitas:
Novos deinde præstitis
Addet favores Dominus.
Ch. Sec. Abscedat omne nubilum &c.
Ch. Pr. Secura sed protectio
Amantis ut sit Præsulis.
Sincera sit devotio
Clientulorum Civium.
Ch. Sec. Abscedat omne nubilum &c.
Ch. Pr. Regi datori munerum,
Qui Domnii exaudit preces,
Laus gratiarumque actio
Nunc & per omne sæculum.
Ch. Sec. Regi datori munerum &c.
Primus & Secundus simul. Amen.



HY-

HYMNUS XLIII.

Ad Divum Vincentium Martyrem, cujus Corpus extat Macarscæ.

Alternis Choris.

Ch. Pr. SErvulos audi tibi concinentes,
Sancte Vincenti, cui sors ab alto
Quippe vincendi fuit, atque agendi
Rite triumphos.
Ch. Sec. Servulos audi tibi concinentes &c.
Ch. Pr. Impiger Christi vigilansque miles
Bella gessisti: caro, mundus, orcus
Te suis frustra studuere diris
Perdere technis.
Ch. Sec. Servulos audi tibi concinentes &c.
Ch. Pr. Ipse & invictus celebraris heros,
Arce quem firma Fidei manentem
Impius nullis potuit tyrannus
Flectere pactis.
Ch. Sec. Servulos audi tibi concinentes &c.
Ch. Pr. Fortis athletæ meritis decorus
Jubilas tandem super astra cæli;
Et nites pulcro proprii cruoris
Murice tinctus.

Ch. Sec. Servulos audi tibi concinentes &c.
Ch. Pr. Eja tu nobis fera bella passis
Ferto, Vincenti, validum juvamen.
Nos tuis præsta precibus beato
Fine potiri.
Ch. Sec. Servulos audi tibi concinentes &c.
Ch. Pr. Assequi id nobis tribuat benignus
Gratiæ Effector, sonet in supernis
Laus ei semper, sonet atque nostro
Semper in orbe.
Ch. Sec. Assequi id nobis tribuat benignus &c.
Ch. Pr. & Sec. simul. Amen.



HY-

HYMNUS XLIV.

Ad Divum Pium Martyrem, cujus Corpus extat Macarschæ.

Alternis Choris.

Ch. Pr. Pii triumphum Martyris
Lætis canamus laudibus.
Eumque civem gloriæ
Nobis precemur auſpicem.
Ch. Sec. Pii triumphum Martyris &c.
Ch. Pr. Repletus ille cælitus
Virtute fortitudinis
Uſque ad ſupremum ſpiritum
Pugnando firmus perſtitit.
Ch. Sec. Pii triumphum Martyris &c.
Ch. Pr. Tormenta dura pertulit;
Fudit cruoris rivulos;
Fidei pro honore victima
Trophæa adauxit Numinis.
Ch. Sec. Pii triumphum Martyris &c.
Ch. Pr. Hujus ſequamur incluti
Præclara geſta militis
Bellum gerentes fortiter
Adverſus hoſtes efferos.

Ch. Sec. Pii triumphum Martyris &c.
Ch. Pr. Tu Chriſte clementiſſime,
Pio patrono ſupplice,
Fac nos, ſubactis hoſtibus,
In aula ovare cælica.
Ch. Sec. Tu Chriſte clementiſſime &c.
Ch. Pr. & Sec. Simul. Amen.



HY-

HYMNUS XLV.

In honorem (*) Beatæ Venerandæ Virginis & Martyris.

Nomine & gestis Veneranda virgo;
Et satis nunquam celebranda laude
Inclyta Herois, tibi concinentum
Percipe vota.
Tu probe sanctæ Fidei institutis
Docta per matrem teneris ab annis
Quas struunt hostes didicisti iniquas
Perdere technas.
Cor tibi mundum niveusque candor;
Pes inoffensus gradiens per omnem
Semitam recti; spatium atque vitæ
Criminis expers.
Non tibi Christum satis esse amare
Corde duxisti, nec amare trito
More virtutis; sed ubique Christum
Ore celebras.
Mira res valde, nimis insueta
Sexui molli, impavido quod ausu
Gentibus sævis referas supremi
Dogmata Regis.

(*) Cujus biographica enarratio pio æque ac erudito stylo concinnata est a præclarissimo reverendissimoque Viro Johanne-Josepho J. U. Doctore Paulichio Lucichio Can. & Provic. Gener. Macarensi, cui Hymnodion istud mittitur.

Nil tyrannorum faciem minantum,
Nilque pœnarum feriem expavefcens
Martyr invicta, & generofa victrix
Morte triumphas.

Martyr ideirco, pariterque Virgo,
Atque item Chrifti, Veneranda, Præco,
Ob triplex munus triplicem coronam
Fulgida perfers.

Tu potens ergo tribuas precamur
Cælitus nobis validum juvamen:
Nofque fac quovis malo ab ingruente
Vivere tutos.

Maxime optamus petimufque, tecum
Detur ut nobis Triadis beatæ
Perfrui vultu, cui fempiternus
Condecet hymnus.



HY-

HYMNUS XLVI.

Pro solemnitate Angelici juvenis Sancti Aloysii Gonzagæ, Patroni studiosæ præsertim juventutis.

Lux juventutis, juvenisque vitæ
  Rite ducendæ speculum nitescens,
  Præsto sis nobis, juvenum Patrone
    Sancte Aloysi.
Tu prius cælo genitus videris,
  Quam satus mundo: siquidem sacrata,
+ ~~Mortuo fœtu~~ genitricis alvo,
    Tingeris unda.
Primulo instructus rationis usu
  Te Deo subdis pius, & novennis
  Te voves castum fore semper, ante
    Virginis aram.
Sic vigil servas oculos, & omnes
  Integre sensus retines; ut inde
  Vir carens carne, Angelus aut opertus
    Carne puteris.
Innocens corpus crucias flagellis;
  Perbrevi somno, tenuique pane:
  Proderis vitæ minime luendæ
    Maximus ultor.

F 4 Prin-

+ Editus nondum

Principum natus genere e corusco
Divites census, hilaresque ludos,
Et, tibi quotquot fluerent, avitos
Spernis honores.
Improbi saecli fugiens tumultus
Clanculum gaudes precibus vacare,
Atque devota superis in oris
Mente morari.
Febre confectus, vel amoris almi,
Quo perardebas, potius suavi
Igne consumptus, juvenili in aevo
Scandis ad astra.
Advola nobis rapido juventae
Vortice abreptis; validaque dextra
Eruti praesta bene ut ambulemus,
O Aloysi.



HYMNUS XLVII.

Divo Anastasio Martyri Civitatis & Diœcesis Spalatensis Compatrono.

SAcra Anastasii redeunte luce,
Nostræ ad illius resonent honorem
Cordis impulsu modulata læto
Organa vocis.
Arte fullonis locuples in astris
Sedulus semper fieri studebat,
Ex sui lucro satagens laboris
Pascere egenos.
Ast opes illic sibi comparare
Insuper mercem cupiens per omnem,
Pro fide Christi, cui strictè adhæret,
Ardet obire.
Ardet occidi nece sæviore,
Ut magis Christo queat ipse jungi;
Ac sibi passo meritum redundet
Pulcrius inde.
Jam tuos fines Aquileja linquit,
Et petit cursu celeri Salonas,
Compos ut voti rapiat profuso
Sanguine palmam.
Vix eo venit, crucis ille signum
Explicat postem super officinæ,
Se palam cunctis inhians fidelem
Prodere Christi.

Sint

Sint Anastasii meritis, precamur:
Cælitus nobis charitatis almæ
Munera; ac summæ Triadi perennis
Cantica laudis. Amen.



HY-

HYMNUS XLVIII.

Eidem Divo Anastasio &c.

Signo crucis Anaſtaſius
Chriſti fidelis agnitus
Truci libenter Præſidi
Ad confitendum ſiſtitur.
Se chriſtianæ detegit
Profeſſionis aſſeclam;
Veri nec unquam Numinis
Ajt futurum perſugam.
Tunc verba ſtrident aſpera,
Pluuntque ſæva verbera;
Torquentur & candentibus
Nudata membra laminis.
Tormenta cedunt Martyri,
Et neſcit ipſe cedere:
Quid ergo Præſes cogitat
Crudelitatis addere?
In æquor illum dejici
Jubet, ſuumque ſic putat
Simul furorem extinguere,
Nec non pudorem mergere.
Jam martyr in Salonici
Maris profundo gurgite
Occumbit; aſt hinc exilit
Ad celſa cæli ſidera.

O nos

O nos item adverſantia
Hoc perferentes Auſpice,
Dignemur inde cælica
Secum potiri gloria! Amen.



HY-

HYMNUS XLIX.

Eidem Divo Anastasio &c.

Eterni in aula Principis
Magna fruens adorea,
Heros Anastasi inclyte,
Tuis fave clientibus.
Qui sublevasti plurimos
Morbis gravatos corporis,
Nos mille pressos undique
Malis misertus subleva.
Qui olim solebas tergere
Vestes peritus artifex,
Nunc corda nostra sordida
Ut abluantur, impetra.
Et qui stipem indigentibus
Large erogabas, obtine
Meliora nobis desuper
Ut profluant charismata.
Protector alme, supplices
Tu nos benigne respice:
Isthæc tuoque Civitas
Secura stet munimine.
Duci supremo Martyrum,
Fonti omniumque munerum,
Sit laus honorque jugiter
In terra & alto vertice. Amen.

HYMNUS L.

In Festo Translationis Corporis ejusdem S. Anastasii Martyris &c.

DEjecti in undas Martyris
Humi latenter condita,
Et dehinc reperta jubilum
Membra attulerunt maximum.
Et nunc per annos singulos
Rei memoriam præstitæ
Piis colentes ritibus
Novis replemur gaudiis.
Ejus sacrata lipsana
Signis corusca plurimis
Sunt jure habenda civium
Sors, gloria, & defensio.
Jam sese ad aram sternere
Devota gaudet civitas;
Supplex opemque protinus
In rebus arctis poscere.
O Martyr, esto quæsumus
Adjutor in periculis;
Malisque ab ingruentibus
Tuos clientes libera.

Aver-

Averte nobis fontibus
Flagrum minantis Numinis;
Cui cuncta sint præconia
In sempiterna secula. Amen.



HY-

HYMNUS LI.

In nuperrima Beatificatione Servi Dei Bernardi ab Offida, Laici Professi Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum.

BErnardi medio cordis in atrio
Quam jam basilice ponere cœperat
Sedem constituit splendida in omnibus
Summi Gratia Numinis
Abjecti generis nactus originem,
Sed donis radians cœlitus inditis,
Multo nobilior quolibet extitit
Magnis fulgido honoribus.
Vir simplex fuerat rectus & innocens;
Vir flamma nimium torridus enthea;
Nam quidquid Charitas ignea postulat
Is ferventius egerat.
Sese pauperibus comiter exhibens
Juvit pauperie ceu potuit sua;
Extraxit fluvio tristitiæ obrutos;
Ægrotis mala sustulit.
Apprime placida præditus indole
Duxit pro nihilo quæque nocentia;
Irratos animos fuevit amabili
Pacis nectere vinculo.

Vixit

Vixit Seraphici prout decet affeclis
Francisci Patris, & sedulus institit
Virtutum studio jugiter improbo
Cæli scandere culmina.
Bernardus sedeat quum super æthera,
Aras atque super considerat sacras,
Æternæ Triadi, quæ omnia perficit,
Sit laus summa perenniter. Amen.



HYMNUS LII.

Ad Mariam veluti Matrem tempore tribulationis & angustiæ.

Alternis Choris.

Ch. Pr. Eja eja, clementissima
Maria, Mater optima,
In hoc malorum turbine
Nos lacrymantes respice.
Ch. Sec. Eja eja, clementissima &c.
Ch. Pr. Memento Mater, quæsumus,
Nos, qui meremur destrui,
Tui redemptos Filii
Pretio fuisse sanguinis.
Ch. Sec. Eja eja, clementissima &c.
Ch. Pr. Idcirco quas perplurimi
Existimavit Filius,
Tu Mater hos miserrime
Ne deperire perferas.
Ch. Sec. Eja eja, clementissima &c.
Ch. Pr. Si nostra poscunt crimina
His nos flagellis percuti;
Materna at ipsa viscera
Pœnas remitti postulant.
Ch. Sec. Eja eja, clementissima &c.

Ch. Pr. Iram ſupremi Vindicis,
Perſæpe culpis concitam,
Verbis tuis ſuavibus
Conare jam compeſcere.
Ch. Sec. Eja eja, clementiſſima &c.
Ch. Pr. Per te, remotis denique
Tot undequaque angoribus,
Largita nobis cælitus
Pax læta regnet jugiter.
Ch. Sec. Eja eja, clementiſſima &c.
Ch. Pr. O Mater alma Numinis!
O mater & mortalium!
Audi, precare, & impetra
Hæc quæ gementes poſcimus.
Ch. Sec. O mater alma Numinis &c.
Ch. Pr. & Sec. Amen.



HYMNUS LIII.

Vel Precatio. De Pseudo-Christi-fidelibus sive de Acatholicis domesticis hac tempestate late grassantibus.

(*) Exurge, quare tamdiu
Gravare somno, Altissime?
Exurge; & usque ad ultimum
Ne nos repellas terminum.
Hostes maligni ac impii
Ex Orthodoxo stipite
Crevere perquam plurimi,
Viasque inundant patrias.
Venena jam non eminus
In Sanctuarium evomunt
Soli furentes Ethnici,
Vel Perduelles perfidi;
Sed nido in ipso Ecclesiæ
Qui inter Fideles assident
Abluti aqua Baptismatis,
Et frontem inuncti Chrismate.
Hi jussa legis Sinai,
Sanctosque mores increpant;
Quæcunque rident mystica,
Mystasque diris impetunt.

(*) Psalm. 43. 25.

Hi sacra temnunt dogmata,
  Quæ hagiographis in paginis
  Divina prompsit Veritas
  Ignara falli aut fallere.
Sapientiæ ipsi jactitant
  Se nosse plenitudinem;
  Se adiisse abyssos, sidera,
  Omnemque callem impervium,
Ipsi putant splendescere
  Fulgore vero cælico;
  Se afferre lucem mentibus
  In nocte oborta lumina.
O gens superba, pervicax,
  Vesana torvo spiritu!
  Propago prava, adultera,
  Damnationis filia!
Tu summe Rex fortissime,
  Illam potenti, quæsumus,
  Contunde virga, ut improbæ
  Insaniæ ponat modum.
(*) „ Auferto gentem perfidam
  „ Credentium de finibus,
  „ Ut unus omnes unicum
  „ Ovile nos Pastor regat. Amen.

(*) In hymno ad Vesperas in Festo omnium Sanctorum.

ODE

De inclyto Dei Servo Nicolao Biancovich primo a Veneta Deditione Episcopo Macarensi.

DAlmatum splendet Nicolaus oris
Cælica fulgens face sanctitatis,
(a) Solta quem dignis (b), Spalatum, Ma-
Laudibus ornant. (carsca

Iste vir magnus teneris ab annis
Gratiæ donis decoratus almis
Inde jam cæpit nitido micare
Lumine morum.

Puber in sortem Domini vocatus
Clericis quotquot radios inesse
Noverat sparsos, sibi colligendos
Duxit in unum.

Torridus divo charitatis igne,
Fiat ut sacro aptior in labore,
Nerii Patris putat instituto
Sedulus uti.

Jugi-

(a) Soltæ insulæ Civis.
(b) Spalati Civitatis olim Canonicus, & Vicarius Generalis.

Jugiter fervens docet imperitos,
    Erigit lapsos, scelerumque cœno
    Illitos tergit, neque iniquiorem
        Negligit ullum.
Arduos cæli superare calles
    Cogit ignita populos loquela;
    Seque ductorem pariter fidelem
        Exhibet actis.
Hic enim culpam nimium perosus
    Exequi plene satagit supremi
    Principis leges; apicem nec unum
        Præterit unquam.
Verbo & exemplo, officiisque cunctis
    Par sibi existens, sibimetque constans,
    Visus est semper validus salutis
        Esse minister.
Talibus præstans meritis Sacerdos
    Præsulis munus meruit subire;
    Tunc magis, sphæra situs altiore,
        Anteit omnes.
Nemo tam prudens, humilis, pudicus
    Tam pius nemo, patiens, modestus:
    Creditæ Sedis speculator extat
        Pervigil usque.
Ipse Pastoris titulo notatus,
    Ut sui vultum pecoris revisat,
    Arva percurrit, super atque montes
        Itque reditque.

Ac oves multas nimis hic & illic
Diſſitas longe, nimis & gementes,
Quas ſua Turcæ feritate vexant,
Viſere curat.
Non eum duræ retrahunt ſalebræ,
Non calor, frigus, pavor, & pericla:
Vis potens zeli vehementer urgens
Omnia vincit.
Mira res ſane, miſeros quod inter
Rure degentes cupiat morari:
Pauperes illi decus, amplitudo,
Curaque dulcis.
Maximo affectus ſtudio precandi,
Sæpe, quum poſſit, penetrale quærit:
Spiritum mundo removens beatis
Sedibus infert.
Sic, adhuc terram licet incolebat
Corpore vinctus, ſuperis in oris
Mente inhærebat velut expeditus
Carcere carnis.
Jam ſenex tandem placido ſopore
Celſa conſcendit Nicolaus aſtra;
Quippe qui in terris veluti lucerna
Luxit & arſit.

O D E.

Quum una ex sacratissimis Spinis, quæ Christo Domino redimiverant Caput adoranda promeretur (*) Maladi in Ecclesia Parochiali Diœcesis Vicetinæ.

Oppidum felix! vario undequaque
Emicant colles tibi flore picti;
Picta permulto pariterque flore
Prata renident.
Sic tibi passim frutices virescunt,
Dulcia ubertim pariuntque mala,
Maladum ut pulcro merearis inde
Nomine dici.
Non tamen florum, neque blanda frugum
Dona te magno decorant honore;
Gloriam at summam tibi dat profecto
Spina cruenta.
Spina quæ nostris madefacta culpis
Crevit in Christi exitiale damnum,
Sæva divinam terebrans acuto
Cuspide frontem.

Quum

(*) Maladum & oppidum florens in agro Vicetino.

Quum Redemptoris saturetur illa
Sanguine, in mundi pretium soluto;
Hocce quis possit satis æstimare
Nobile germen?
Si sapis, lætum frueare tanto,
Maladum, dono: nimis expetendam
Hanc super flores, super atque fructus
Dilige Spinam.



VERSIONE ITALIANA.

Del Nob. Sig. Ab. Francesco Ferro Vicentino Accademico Olimpico.

TErra felice! di fior varj pinti
Ridono intorno questi ameni colli,
E di fior varj pur dipinti e ornati
Ridono i prati.
Tal qui verdeggia d' arboscelli eletti
Copia che frutta pomi sì soavi,
Che dalla voce de' latini pomi
Malor' ti nomi.
Non però tanto d' alto onor ti colmano
Di fior, di frutta, nè di biade i doni,
Quanto di somma gloria ti fa degna
La sacra Insegna.
Spina che morbida delle nostre colpe
Crebbe a mortale spasimo di Cristo,
Cruda passando d' acutissime onte
La diva fronte.
Bevendo questa l' onda preziosa
Del divinSangue sparso a pro del mondo;
Chi può stimare qual valor mai vanta
L' eccelsa Pianta?

Malo,

Malo, se intendi, di sì gran tesoro
Esulta e godi: più che i frutti e i fiori
Cara sia questa, che a te il ciel destina
Sacrata Spina.



HEN-

HENDECASYLLABON.

Quum Maladi itidem promeretur adoranda pars columnæ sacratissimæ, cui Christus Dominus flagellatus adhæserat.

Quotquot congerie aggerentur una
Baccæ, chrysoliti, topazinque,
Berylli, atque onyches, iaspidesque,
Sapphiri, & cum adamantibus pyropi;
Post hos totque alii quot Eoo in orbe
Sunt pelluciduli uberes lapilli;
Nil omnes penitus, nihilque prorsus
Præ illo, quem tibi, *Maladum*, dedere
Astra, Marmoreo Sacro Lapillo,
Ostentent pretii. Lapillus ille
Ille, qui innocui flagella passi
Divino maduit rubens cruore
Agni, te locuples satis superque
Oppidum facit. Hunc age hunc corollis
Exorna redolentibus; facesque
Huic ferto; huic adoleto thura; & aris
Repositum vigili tuere cura,
Quem fausto ædepol omine ominaris
Jucundi (*) auxilii tibique dulcis
Futurum Lapidem beatitatis.

VER-

(*) 1. Reg. 7. 12. Lapis adjutorii.

VERSIONE ITALIANA.

Del medesimo Nob. Sig. Ab. Francesco Ferro Vicentino Accademico Olimpico.

PEr quante in cumulo ponganſi al pari
Perle, criſoliti, topazj rari,
Berilli, ed agate, jaſpidi, e quanti
Zaffiri ſonvi, piropi, e diamanti;
E ancorchè aggiunganſi tutte le gemme
Che in copia han lucide l'Eoe maremme
Niente eſſe vantino di pregio a lato
Di quel Marmoreo Saſſo Sacrato,
Che gli Aſtri diedero, *Malo*, a te in dono.
Quell' iſteſſiſſima Pietra, cui 'l buono
Innocentiſſimo divino Agnello
Nell' addoſſarſi per noi flagello
Bagnò, e vermiglia del generoſo
Suo Sangue fecela; quel prezioſo
Saſſo a dovizia te ricco e chiaro
Rende, o Suol Malado, Suolo al ciel caro.
Su via coronalo or d' odoroſe
Ghirlande, e intrecciale di giglj e roſe;
E torcj e lampane v'accendi intorno;
L'adora, e incenſalo; e in ſacro adorno
Luogo riponilo con vigil cura.
Felice augurio d' alta ventura
Fia la gran Lapide: qui poggia e apprezza
Di grazie un ſimbolo, e di ſalvezza.

EPI-

EPIGRAMMA.

De Venerabili Maria Magdalena Martinengo e Comitibus a Barco, Brixiensis Capuccinorum Cænobii Abatissa, quæ insignis fama sanctitatis obiit die 27. Julii 1737.

MAgdala præclaro, gaudet qua Brixia cive,
E *Martinengo* Sanguine virgo sata;
Et Virgo, & fortis merito est censenda Virago,
Quin supra fortes fortior ipsa viros.
Illecebris mundi generoso robore fractis,
Unde cadunt alii vincere docta fuit.
Ipsa sui victrix, vindexque acerrima voto
Se obstrinxit nunquam parcere velle sibi.
Artus sævitia dulci, dulcedine sæva
Destitit haud unquam dilaniare suos.
More gigantis iter salebroso calle cucurrit,
Atque aliis tutam se dedit illa ducem.
Exemplis etenim, verbis, (a) scriptisque fategit
Tradere sancta suis dogmata Virginibus.
Subra-

(a) Extat liber hoc titulo editus - Raccolta di Documenti, ovvero Avvertimenti Spirituali ed esortatorj ec. dati dalla Vener. Serva di Dio Maria Maddalena Martinengo Capuccina alle sue Novizie - item - Dialoghi tra l'Anima ed il corpo, tra lo Spirito e l'Anima, e tra l'Amore e lo Spirito - Item - Maniera, con cui la Vener. faceva gli Esercizj ec.

Subtracta hinc terris Cælum conscendit (a) ut aris
Mox Divas inter Diva colenda foret.
Sic Domi honor, Patriæ sic gloria, sicque Sacrarum
Virginum, & Ecclesiæ Magdala facta decus.



CAR-

(a) De cujus virtutibus in gradu heroico, Apotheoseos agendæ causa, constat Decreto Congregationis habitæ die 28. Aprilis 1778.

CARMEN SECULARE,

SIVE

HYMNUS

SECULO XIX. ADPROPERANTE

Typis impressus Anconæ 1793., & Romam nuncupatorie missus Clarissimo Reverendissimo Viro

ALOYSIO CUCCANIO TIFERNATI

Collegii Romano-Hybernensis Rectori.



UNA CUM VERSIONE ITALICA

Reverendissimi Egregii Viri

FRANCISCI GIANUIZZI

Canonici Metropolitanæ Primatialis Ecclesiæ Spoletensis, emeriti Rhetorices Professoris in ejusdem Ecclesiæ Seminario, nec non Accademici.

DE SECULO XVIII.

PRÆTEREUNTE.

Seculum noxis nimium redundans
Hocce quod transit; simile ac præisse
Forsitan nullum perhibet vetusta
Qui legit acta.

Luo-

CARMEN (*) SECULARE

SECULO XIX. ADPROPERANTE.

SUmme Rex noster, Deus, ante cuncta
Secula existens, tibimetque nomen
(1) Qui est dari indicens, veterantis orbis
Suscipe vota.

Vota solemni, redeunte centum
(2) Temporum cursu, tibi ab universis
Porrigi ritu decet, ac tributa
Publica laudum.

(3) Tu

(*) Carmen Seculare in ludis secularibus centesimo, vel centesimo decimo quoque anno canebatur: vide Carmen Seculare, eodem metro, Q. Horatii Flacci lib. 5. Epodon, sive Odarum in fine. *Constat anticipatum fuisse aliquando tempus* (Ludovicus Desprez in annotationibus ad praefatum Carmen). Necui igitur negocium facessat Carmen nostrum, si ipsum itidem *anticipatum* promatur.

(1) *Dixit Deus ad Moysen*: EGO SUM QUI SUM: *Ait Sic dices filiis Israel:* QUI EST *misit me ad vos*. (*Exod.* 3. 14.)

(2) *Tempus, & tempora, & dimidium temporis* in Daniele 12. 7. & Apocalypsis 12. 14. designant tres annos, & semis. *Tempus* annus est, *tempora* biennium, *dimidium temporis* anni dimidium. In eodem Daniele 4. 13. *septem tempora* valent septem annos: *Donec septem tempora mutentur super eum*: dicta sunt haec de septennali metamorphosi R. Nabuchodonos. Dictionar. Calmet ver. Tempus.

(3) Tu dies, annos, hominumque ſortes
Et vices rerum moderans, quieto
Fac dehinc nobis, placidoque fluxu
Tranſeat ævum.

Nemo, te præter, mala (4), queis ubique
Ingemunt gentes, procul amovere
Pollet, & preſſis validum repente
Ferre levamen.

Ceſſet armorum ſtrepitus, precamur,
Dirus & cædis furor ille ceſſet,
Algido qui nunc (5) hyemis vel ipſo
Tempore fervet.

Ille & omnino pereat rebellis,
Nuper egreſſus tenebroſo ab orco,
Spiritus, gaudens (6) populos ad omnem
Cire tumultum.

Qui

(3) *Non est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus.* (Sap. 12. 13.)

(4) Praeter tot tantasque aerumnas, quas patiuntur filii Adam ex asse paternae haereditatis, plurimae aliae passim inolescunt ex proterviore hodierna hominum nequitia.

(5) Olim habebantur hyberna, loca videlicet, in quibus militum copiae hyemabant; nunc eo processit ardor belligerandi, ut perenniter certamina ineant hostes vel media hyeme in plagis ipsis hyperboreis.

(6) Quae turbolentissima hac tempestate orta sunt, & suboriuntur, non nemini perspecta, & explorata ostendunt satis quam apposite haec dicta sint.

Absit, ut fastu reprobet superbo
Jura vel legum, juga vel regentum
Plebs (7), Potestati obsequioso honore
Jussa subesse.

Absit oh! absit, minimi ut putentur
(8) Dogmata,& ritus,sacra quæq. templi;
Vilia aut fiant veneranda summi
Scita Hierarchæ.

Fac

sint. Non unquam antehac, sicut impraesentiarum, rebellionis spiritus debacchatus est, ut Anarchiam invehat, si fieri possit, quocumque.

(7) Religio sancta Catholica, vel Politiae institutis maximopere coli deberet ubicunque; quum inter praecipua ejusdem Religionis ethica praecepta indicitur, ut Regibus, Principibus, & quibuslibet civilem Magistratum gerentibus subiciamur IN TEMPORALIBUS. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit .... qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. (Ad Rom. 13. vv. 1. 2. & 1. Pett. 2. 13). IN SPIRITUALIBUS vero omnis anima subdita sit Praelatis, Episcopis, & Pontifici, *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. (ad Hebt. 13. 17)

(8) Anarchiae Spiritui Spiritus Irreligionis suapte natura copulatur. Inde est quod alicubi susque deque haberi conspicimus, cum humanam, tum divinam auctoritatem.

Qui foris latrant rabidi molossi
Fac premant vocem; sileant & intus
Assolent quotquot crocitare nostri
(9) Pseudo-fideles.
Fac salutari rubeat rubore
Illa, quæ stulte loquitur, putresve
Scriptitat libros, male nuncupata
(10) Turba sophorum.
Spiritum erroris (11) jubeas Averni,
Unde prolapsum, latebras subire;
Ac tuæ nobis radios supernæ
(12) Mittito lucis.

Ful-

(9) Non forinsecus dumtaxat perstrepunt blasphemiis Heterodoxi; sed & ipsimet Christiani contribules nostri, quorum numerus hodie ultra mensuram excrevit, haud verentur se impios prodere obloquutores.

(10) Novi cujusdam furfuris sapientes invaluerunt Seculo XVIII., qui Seculum Philosophicum ipsum vocari maluere. Philosophia ii quidem sunt madidi, sed illa deceptoria, de qua Apostolus clamitat. *Videte nequis vos decipiat per Philosophiam*. (ad Coloss. 2. 8.)

(11) *In novissimis temporibus discedent quidam a fide; attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum* (1. ad Timoth. 4. 1.)

(12) *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam* (Psal. 42. 3.)

Fulgeat cujusque oculis, & arcto
Cordis amplexu teneatur (13) expers
Veritas mendæ, cui utrumque desit
Fallere, falli.
Id sciant omnes: ruitura nunquam,
Cujus es structor, Domus alma, firmam
(14) Stans super petram, Petrus atq. jugi
Sede futurus.
Plurimi regno caruere reges,
Regna & omnino cecidere plura:
Rex Deus regum, (15) tua, quæ extulisti,
Sceptra manebunt.
Mira res sane satis haud canenda!
Siqua subjectam tibi se recuset
Natio prodire (16), alia hinc perardet
Subdere collum.

Ter-

(13) Repugnat summopere Deum, qui essentialiter verax est & omnisciens, aut falli, aut fallere posse. Firmiter idcirco, atque indivulse adhaerere oportet ei, qui aperte edisserit: *Ego sum via, & veritas, & vita.* (Joan. 14. 6.)

(14) Perjucundum est recinere millies haec divini promissi oracula: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* (Matth. 16. 18.). Quid ergo moliuntur impii evertere Ecclesiam Dei, quae nullis est evertenda conatibus?

(15) *Regnum tuum regnum omnium seculorum; & dominatio tua in omni generatione & generationem.* (Psal. 144. 13)

(16) Sic actitatum esse edocemur ex præteritorum

 tem-

Terga gens vertit modo perduellis (17)
Deserens sanctam Fidei unitatem,
(18) Gens sed uniri numerosa anhelat
Nupero in orbe.

Im-

temporum monumentis, Rejecto & quasi exsuflato Hebreorum populo, quibus jam dictum erat a Christo Domino: *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus* (Matth. 21. 43.); Ecclesia conflata est ex nationibus. Deinceps, processu temporis, Religio de gente in gentem tranalata est. *Vidimus* (ait S. Thomas Archiepiscopus Valent. Conc. Fer. 6. post 2 Domin. Quadrag. Edit Venet. pag. 202) *vidimus oculis nostris. & cunctis innotuit, qualiter his temporibus* (Seculo XVI), *veluti aperto foramine*, Græciæ, Angliæ, Germaniæ fides quasi aqua ad *insulas hoc ipso tempore repertas defluxerit . . . ac proinde timendum merito, ne in reliquas Christiani nominis provincias, propter peccata nostra, simile quid fiat*.

(17) Recentioris autem historiæ, quinimo præsentis temporis hæc duo admodum peculiari sunt admiratione notanda. nimirum hinc magna Galliarum pars (18) ab Ecclesiæ sinu desciscens; inde Provinciæ illæ Americanæ, a Britanica ditione recens sejunctæ, quæ vulgo sub nomine Nationum sex dignoscuntur ad Ecclesiæ gremium revertentes: ut videre est in Ephemeridibus Ecclesiasticis, quæ italico sermone Romæ cuduntur, anno 1791. Tom. VI. num. XVI.

Improbo (proh culpa!) animo (19) recedit
Perfidis Europa agitata diris:
Mox tibi felix America recto
Corde propinquat.
Tu vicem reddis meritam cuivis:
(20) Appropinquanti pius appropinquas,
(21) Et relinquentem pariter relinquis
Jure peræquo.
(22) *Non meus*, dicis, *populus tu es*, illi
Esse qui tecum refugit; vel illi
(23) *Tu meus*, clamas, *populus*, libenter
Qui tibi adhæret.

(19) *A Domino recedit cor ejus*. (Jerem. 17. 5. atq. alib.) Via recedendi a Domino nunc potissimum ea est nostratibus, quod *doctrinis variis & peregrinis* malunt *adduci*. (ad Hebr. 13. 9.). Lubentissime auscultant eos, qui nova dogmata conflant: *dicunt malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum*. (Isa. 5. 20.). Eo progressa res est, ut in plerisque Europæ partibus Orthodoxia cernitur vel labascens, vel extorris. In Americæ autem plagis Orthodoxa Religio pacifice se habet, viget perbelle, & propaginem mittit.

(20) *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*. (Jac. 4. 8.)

(21) *Hæc dicit Dominus: vos reliquistis me, & ego reliqui vos*. (Paral. 12. 5.)

(22) *Vos non populus meus, & ego non ero vester*. (Ose. 1. 9.)

(23) *Dicam non populo meo: Populus meus es tu; & ipse dicet: Deus meus es tu*. (Ose. 2. 24.)

Nostero perquam metuende Judex,
(24) Nos tuam noli reprobare plebem:
Maxime addictos fore pollicemur
Nos tibi semper.
Ergo nos semper dociles sub umbra
(25) Protege alarum famulos tuarum:
(26) Alpha & Omega, Omnipotensque
Numen,
Semper adesto.

Re-

(24) *Non timemus repulsam* (Ecclesiæ), *sed translationem: quis enim scit, si propter delicta populi Deus Ecclesiam suam, & Fidem transferat ad aliam gentem, ista relicta? Auget autem timorem nostrum hæc nova alterius orbis apud Indos revelatio, quæ gens barbara quum Fidem amplexari jam caperit, merito est timendum, ne propter nostram malitiam transeat ad illos Deus, nobis expulsis. Sic enim ab oriente jamdiu siccari Fides, & ad occidentem fluere capit, ut timeri possit, ne etiam deserto occidente transeat Oceanum.* (S. Thom. Archiepiscopus Valent. ut sup.)

(25) *Sub umbra alarum tuarum protege me.* (Psalm. 16. 8.)

(26) *Ego sum* A *&* Ω, *principium & finis. dicit Dominus Deus.* (Apoc. 1. 8. 21. 6. 22. 13.)

Regi Seculorum
Immortali, invisibili,
Soli Deo
Honor & gloria
In secula seculorum
Amen.

1. ad Timoth. 1. 17.

TRADUZIONE

Del chiarissimo Sig. D. Francesco Gianuizzi Can. della Metropolitana Primaziale Chiesa di Spalato, Veterano Professore di Rettorica nel Seminario Arcivescovile, Membro delle Accademie di Spalato e di Zara.

SUL SECOLO XVIII.

Che sen va

Questo Secol, che omai passa, di mali
Troppo ridonda; e simil altro forse,
Che anzi sia gito ne l' età trascorse,
Non addita chi legge i prischi Annali.

CAR-

CARME SECOLARE

PEL SECOLO XIX.

Che se ne viene.

O sommo nostro Re, o Dio, che innanti
Sei d'ogni tempo, e che chiamar ti festi
Quegli ch'esiste, accogli i voti in questi
Del Secolo che invecchia alterni canti.
A Te convien che con solenni modi,
Il giro di cento anni or già compiuto,
Voti da tutti i popoli in tributo
Si porgano e d'onor pubbliche lodi.
Tu temprando a vicenda i giorni e gli anni
E le forti terrene a un facil morso
Fa che dappoi ci passi in novo corso
Il Secolo tranquillo, e senza danni.
Fuori di Te non v' ha chi l' infinita
Vaglia lungi cacciar turba de' mali,
Onde gemono ovunque egri i mortali,
E lor tosto recar valida aita.
Odi le preci che mandiam' al Cielo:
Fa che cessi dell' armi il gran fragore,
E quel di stragi atro-crudel furore
Che or anche ferve tra le nevi e il gelo.

Nè

Nè quello spirto omai sen resti inulto,
Non ha guari fra noi in luce uscito
Dal lago tenebroso di Cocito,
Che a muover gode il popolar tumulto.
Non sia che unqua la Plebe inorgogliando
Ricusi o i giusti dritti della legge,
O il convenevol giogo di chi regge,
Ordinata di stare al suo comando.
Non sia deh! non sia mai che non sia resa
La stima ai sacri templi, ai dommi, ai riti;
Nè i decreti sen giacciano avviliti
Del Principe Supremo della Chiesa.
Fa che fuori di lei gli arditi cani
Preman' le voci debellate e dome;
Nè gracchin'que' che giustamente il nome
Hanno comun tra noi di Cristiani.
Fa che a suo meglio quel, che mal vien detto
Stuol di Filosofanti, si vergogne
De le follie che parla, e de le fogne
Ove cova de' libri un sciame infetto.
Tu comanda che al bujo de l'Averno
D'error lo spirto si rinserri, e asconda
Onde sortì: fa Tu che si diffonda
La luce in noi del tuo raggio superno.
Sfavilli a gli occhj, e da ciascun s'abbraccj
Scevra d'error la Verità nel seno,
Cui d'ingannar manca il difetto a pieno
O di gir de l'inganno avvolta ai laccj.
E sap-

E sappia ognun, che l' Edificio altero,
 Di cui Tu fosti il fabro, ognor a l'etra
 Torreggierà ben fitto in stabil pietra,
 E nel suo seggio il Successor di Piero.
„ Cadono le Città, cadono i Regni,
 Ma quel scettro, che hai Tu stesso innalzato,
 Re Dio di tutti i Regi, invariato
 Fia che sempre sen duri, e si sostegni.
O gran prodigio che ogni laude eccede!
 Se qualche Nazion s' ange restia
 Sotto al tuo impero, un'altra ebra desìa
 Di assoggettar al tuo poter la Fede.
Ti dà le spalle un popolo rubello,
 Che dal vincolo santo or si ritira
 De la Fede; ed un altro in folla aspira
 D' accoppiarsi ne l'orbe a noi novello.
Malvagiamente (o iniquità!) declina
 Scossa da rio furor l'Europa ingrata;
 E l'America tosto avventurata
 In cor di verità ti si avvicina.
Tu la giusta mercè libri a ciascuno:
 Ver lui, che ti si appressa, imprendi il corso;
 E volgi pur a chi ti volge il dorso,
 Reso a ragion del tuo favor digiuno.
Tu non sei popol mio, al popol dici,
 Che di teco annidar pronto non brami;
 Anzi sei popol mio, a quel Tu esclami,
 Che stringersi vuol teco in nodi amici.

Giu-

Giudice nostro di poter supremo,
Noi siam' il popol tuo, nè ci rigetti:
Ti promettiam' che sommamente addetti
In tutti i tempi al tuo voler saremo.
Dunque ligi, quai siam', Tu ci proteggi.
Docili a l'ombra ogn'or de le tue piume:
Principio, e Meta, e Onnipotente Nume,
Il corso a gli anni, e ai dì sempre Tu reggi.



De

De timore Dei, & observantia mandatorum ipsius

TETRASTICHON.

(a) „FAc Dominum timeas, ejus mandataque serves:
„ Hoc est omnis homo: (clamitat ipse Deus.)
(b) „ Ergo (Claraevallensis monet inclytus Abbas:)
„Si hoc est omnis homo, absque hoc nihil omnis homo.



(a) *Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo*. Eccles. 12. 13.
(b) *Ipsissima Divi Bernardi verba in Cant.* Serm. 20. num. 1.

INDEX HYMNORUM.

XII.

XLVIII.

NOI

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

Avendo veduto per la Fede di Revisione, ed approvazione del P. F. *Gio. Tommasa Mascheroni* Inquisitor General del Santo Offizio di *Venezia*, nel Libro intitolato *Hymnodiae seu Hymnorum quarumdam Collectio Authore P. Fidele Dalmata Jaderensi Ord. Capuccinorum MS* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e Buoni Costumi, concediamo Licenza ad *Antonia Zatta* Stampator di *Venezia*, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 5. Ottobre 1796.

(*Marco Zeno Kav. Rif*
(
(*Francesco Pesaro Kav. Pr. Rif.*

Registrato in Libro a Carte 300. al Num. 117.

Marcantonio Sanfermo Segr.

